Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36554
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

in xpo cupiunt omni genere a contrariis uirtutib: per ea quae
repperiunt uasa persecutionem pati ., Qua causa nihil nouum aut
peregrinum uideatur quibus tribulationib: adfliguntur omnia
quae eis praecepta sunt faciant tantum orent . ut persecutionis causa
xps sit ne propter iniustitiam . Ne propter delicta . Ne propter auaritiam
depraehendantur ; Si quando autem . propter iustitiam aliquis
exagitatur .- audiat . beati estis cum exprobrarent uobis &
persecuntur & dicunt omne malum aduersum uos mei causa
gaudete & exultate quia merces uestra magna . est . in caelis ;
Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos ; Quoniam
tecum sum ut eruam te dicit dns . Et extendit dns manum
suam ad me & tetigit os meum & dixit dns ad me obserua
differentias hieremiae & esaiae . esaias ait . In munda labia
habens in medio populi inmunda labia habentis ego habito &
regem dnm sabaoth uidi oculis meis . & quoniam confessus . est
non habere facta inmunda sed uerba tantum . usq: ad hunc enim
finem peccata commiserat . Non extendit dns manum suam . Neque
unum ex seraphin . manu sua labia eius tetigit . sed forcipe solum
tangens ait . ecce abstuli iniquitates tuas . Hieremiae autem .
quia iam sanctificatus fuerat in uulua . non forceps mittitur neq:
de altari carbo succensus . Nihil quippe habebat igne dignum .
sed ipsa manus dni tangit eum . propter quod dicit . extendit dns manum
suam ad me & tetigit os meum . & dixit dns ad me . Ecce
dedi sermones meos in os tuum . ecce constitui te super gentes
& regna eradicare . Qui sic beatus . est . ut regna multa quae
xpo diabolus ostendit . regna daemonum regna peccati eradicet
his qui ei datis a do sermonib: scriptum . est . enim . Ecce dedi
sermones meos in os tuum . Ecce constitui te hodie super gentes &
regna eradicare ; Quomodo autem regna sunt plurima
plures similiter & gentes . Nec potest aliquod regnum dici .